


Johannes Hemmingius,
In Honorem Nuptiarum
M. Erasmi Katholmii
& Elisabetae Wasenbardt.










BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

EPITHALAMIVM IN HONOREM NVPTIARVM REVERENDI VIRI M. ERASMI KATHOLMII PROFESSORIS IN

Regia Hafniensi Academia doctißimi præceptorisq; sui longè charißimi & castißimæ Virginis Elisabetæ, honetißimi Viri, piæ memoriæ, M. Iacobi Hasenbardt medici celeberrimi filiæ, scriptum

A

IOHANNE HEMMINGO,

ANNO DOMINI M. D. LXX.

Die X IX. Nouembris.



HAFNIÆ,
Excudebat Laurentius
Benedictus.
1570.


BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

EPITHALAMIUM.

TV mihi principium, tu finis carminis esto
Summe Deus, de quo rutilantia mœnia cœli
Et terræ tractusq; maris montesq; niuosi,
Omniaque extensis quæ findũt aëra pennis
Vastaque flexilibus quæ tranant æquora pinnis
Principium sumsêre suum. Tu vota precantis
Audi, nec tenues spargas mea dicta per auras.
Tu quoque qui Regis pariter Mystæque sacrati
Munus vtrunque geris, Christe ô mihi dexter adesto.
Tuque sacer, patre qui & nato procedis vtroque
Spiritus, ô venias, cupidisque in pectora lætus
Infer te nostra atque animis coniungere nostris.
Te Deus alme voco, te toto pectore adoro,
Qui celsos habitans cœlos terrestria curas
Humanasque regis mentes, tu percipe dicta
Quæ loquar, ex imo ducens suspiria corde.

Cum primum ex nihilo cœlum terramq; creasses
Multiplicesque feras, herbas & gramina campi,
De terra humanum struxisti ex tempore corpus,
Impositumq; horto viridi, cui nomen amœnum

Deliciæ dederant molles, quem flumina tractu
Quatuor aduerso circumlabentia findunt,
Imperium inque feras gereret pisces que marinos
Et cœli volucres iusßisti, vt cuncta teneret
Mandato subiecta suo quæcunque creasses.

Hîc sapiens, vacuo contemplans rure vagantem
Solū hominem (socios nam cuncta animalia habebāt)
Dixisti, arcano hæc promens de pectore verba:
Cum pare quæque suo ducunt animalia vitam.
Et sobolem gignunt, sed cur sine fœnore vitam
Solus homo, cui cuncta dedi, flos vnicus orbis
Exigat? haud ita: sed sociam comitemq; laborum
Efficiam tradamque illi. Mox cuncta sopore
Membra viri premis, hinc costam quæ viscere ab imo
Hæserat & lateri defixa iacebat aperto
Eripis, atque eius fingis de carne maritam.

Continuò placido resolutus lumina somno,
Euigelans sociamque videns comitemq; laboris,
Agnoscit propria exemtam de corpore costam
Et fatur: Non me fallit mens conscia veri.
Tu mulier mea vita meo es de corpore sumta
Te sociam omnipotens mihi designauit habendam.
Ergo ades & nostro lateri te iunge sodalem.

Consortemque thori, mihi tu solatia praestes
Tristibus in rebus, sine te mihi displicet omnis
Mundus, & in nullo nisi te mens nostra quiescit.
Sed quia de nostra te sumsit carne creator
Oßibus eque meis statuit te imisq; medullis:
Ex re nomen erit tibi dicerisq; VIRAGO.

Extemplò Deus hos dextras couiungere dextris
Iußit, & iustantem coniunctos degere vitam.

Hic primus tu summe Deus pia fœdera sancti
Fundasti status, inque vnam duo viuere carnem
Corpora mandasti, socias quò iungere mentes
Aptius & melius rerum te agnoscere patrem,
Laudibus & meritis possent ornare decenter.

Ergo tuum laudo inceptum Præceptor amande:
Quòd castum ad Thalamũ, velut errans nauita vasto.
Oceano, portum petit & ceu fessa volando
Fortè columba gemit miserè, dulcemq; quietem
Expetit & quærit, Iam tandem ætate virili
Te recipis iustoq; includis limite vitam,
Fundatumque statum summi virtute parentis
Ingrederis sociamque thori comitemque laboris
Hanc quæris. Sola illa tibi sacrata puella est,

Non alia. Hæc, quoties diræ tua pectora curæ
Versant, aut studijs fueris fessusue labore,
Dulcibus alloquijs foueat te & pectore curas
Eximet euelletque omnes & gaudia reddet.

Ecce animo dilecta tuo ELISABETA, Iacobo
Patre nata, aurato circumdata tempora serto
Ingreditur, roseoq; genas perfusa colore
Te spectat nutusque tuos, te quærit ouantem.
Hanc decor & vultus sine rusticitate pudici
Ornant, hæc longè superat virtutibus annos
Incedens pompæ decus est comitumq; suarum.

Ergo veni atque illi venienti occurrito, dextrã
Immittasque manum dextræ, hæc pia fœdera nullus
Vel satan horrifremens, non si se rumperet vnquam
Soluet facta semel: Nam quæ Diuina voluntas
Iunxit, in æternum semper coniuncta manebunt.

Quod superest, Dominus, rerum qui flectit habenas
Cuius & ad nutum cœli terræque tremiscunt
Incolumem multos casta cum coniuge in annos
Te seruet, natos & qui nascentur ab illis
Vt videas, serosque in plurima secla nepotes,
Idem etiam Deus Isacidæ qui maxima gentis

Spes

Spes fuit & columen rebusque in tristibus vnum
Solamen, nobis donet placidæ ocia pacis:

Tranquillam vt vitam possimus degere & illi
Dicere perpetuas sincero pectore grates.
Sola salus spectare illum, sunt cætera fraudes,
Diuitiæ, laudes operosaque gloria mundi.
Nec quicquam inuenies toto preciosius orbe
Quàm castum atq; pium Christi verumque timorem.

Hæc quæso accipias placida tu carmina mente
Quæ tibi sincero de pectore scripsit amicus.
Sed tibi cum veniat sobolis generosa propago,
Fœlix illa dies fœlix dicetur & annus,
Tum plura, & si fata sinent, meliora canamus.

ὁ ἀυτὸσ

οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισ χαριέστερον, οὐδὲν ἄμεινον
ἢ τῆμ' ἀλόχου φρονίμου ἀνδρὶ φρονοῦντι φίλα.
Τούτοισ δὴ μόυνοισ γλυκίων ζυγὸσ ἠδὲ τὰ ἔργα
κουφότερ', οἷσ γὰρ ἀεὶ σύμπονοσ ἐστὶ θεόσ.